

Academiae Aboensis h.t. rector
M. David Lund, lingvar
sacrar. prof. ord. pat...





Lund, David,

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

1694. 19 April.

ACADEMIÆ ABOENSIS h. t. RECTOR
M. D A V I D     /
 LINGVAR. SACRAR. PROF. ORD.
 PATRIBUS CIVIBUSQUE ACADEMICIS
 S. P. D.



Um Respicimus versamusque nos, mortalitas aderit, confessus est jam suo ævo *Seneca*, iudicio ipsius *Plinii* Princeps eruditionis. Mortis rimatus indolem Sapiens, de ea pronunciavit sententiam ex effectis, quod cum communi lege sit destinata omnibus, sæpe adfit inexpectata, ac repentina irruptione rationes ætatis, loci, temporis, conditionis, insuper habens, mortales invadat atque opprimat. Et quamvis vulgare ac quotidianum videri possit, de Fati potestate, quid quisque sive loquatur, sive queratur, eò quod longa experientia, inde à seculorum exordio, in animis omnium veram ejus imaginem exactè descripsit: maximi tamen faciendum est, quod hic vel *Stoæ* Magister exclamavit, vel Doctorum alii super eadem re signarunt. Etenim cum, ut ait quidam, apud *Stobæum*: οὐδὲς ἐπὶ θανάτῳ νόμος ἢ χροῖον ὑπὲρ τῶν θεῶν γέγραπται, necessum est ut alii alios sive cohortemur, sive doceamus dictis factisque, quo tanti ac immanis adeo hostis, parati operiamur adventum, suamque præsentiam, quia illam eludere non est possibile, excipiamus masculè, & feramus patienter. Ita fiet simul, ut quem judicavimus antea adversariam crudelem, æstimemus sic affecti animo, omnis doloris, & malorum omnium exoptatum terminum, & simul acquiescamus in *Euripidis* effato: τὸ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεσθαι. In Præsentia anserat hujus meditationis nobis porrexit, Vir Juvenis Eximius & Præstantissimus **DN. OLAUS LEIMONTINUS**, artium liberalium dum xit, & cum primis Philosophiæ, Studiosus solertissimus, qui in ipso ætatis suæ flore succisus, morti præda cessit, sed beatæ. Editus est ipse in lucem hanc communem, loci celebri, Urbe Cælmariensi, anno post natum mundi Salvatorem CIO DC LVIII. Parentes habuit ordinis honesti, Patrem Virum Reverendum & Doctissimum **N. ISRAELEM LEIMONTINUM**, Concionatorem Nosocomii dictæ urbis probatum satis, & benè meritum; Matrem Lectissimam Fœminam **C. THARINAM** Nicolai Filiam. Horum providâ curâ postquam ad sacrum regenerationis lavacrum promotus est, domi etiam, statim à puero, ad veram pietatem formari cœpit. Atque quo felicius hoc efficeretur, & futuræ simul vitæ degendæ, subsidiorum paratione idoneorum, consuleretur; in schola patria Laudatissimorum Præceptorum institutionibus traditus est, literarum disciplinis imbuendus. Hic rudimenta cognitionis, hic incunabula virtutis hausit, æque una fundamenta jecit sequuturæ modo doctrinæ. Non potuit non conata feliciter heic perficere, quia annos benè multos singulari industria, & ingenua probitate, in hac palæstra substitit, atque plurium & optimorum Magistrorum fideli & constanti interea usus est informatione. Exinde ad regias Musarum sedes, quas Academiæ appellamus profectus, in illis cum primis inclytam Ubsaliensem studiorum suorum formatricem elegit, Anno 1682. Cum in illius contubernio, per continuos quinque annos, constanti diligentia hæssisset, partas ibi opes ampliori incremento adaucturus, ad almam nostram Aboënsē concessit anno 1687, quo accedens benignè exceptus est ab Academiæ Magnifico Rectore, qui tum erat beatæ memoriæ Professor, **DN. M. DANIEL ACHRELIUS**. Ab eo usque tempore, nisi quod unum annum Holmiæ commoratus sit, apud nos Musarum sacris est operatus, non indiligenter. Equidem patet ex eo actæ vitæ suæ tenor, quod non ita pridem, viribus suis non minus confusus, quam Promotorum svasu inductus constituerit, subeundo examen quod Rigorosum dicimus, summos in Philosophia honores excipere. Factum est hoc ab illo auspiciis non malis, quippe qui nuper in instituto tuo peragendo, tale edidit styli specimen, quod applausum promeruit omnium Venerandæ quoque Facultatis Theologicæ probationes eo cum successu sustinuit, ut spem non dubiam conceperimus cuncti, fore ut Facultatis Philosophicæ rigorem in examinando, etiam feliciter ferret, nisi maturus suus obitus, prudenter destinata planè confudisset, imo potuisset dudum has operas absolvere, nisi paupertatis telo pressus, coactus fuisset indies conatus suos proferre. Vicit vero tandem constantia animi, & cœpit ex adversitatibus, eo quem descripsimus modo, luctari, ita ut etiam Disputationem pro Gradu, ut appellant, elaboraverit beatus noster. Et superasset plenè novercantis fortunæ vim, si spatium longius sibi fuisset definitum. Quoad suam vivendi rationem in civili societate, illam morum integritate, innocentia, prisca simplicitate atque fide, & quod in rebus omnibus est primum, illibato Numinis cultu, egregiè exornavit. Vidimus partim hanc in ipso rectitudinem, partim accepimus à Testibus fide dignis, unde etiam signamus hic illam certius, in exemplum aliorum, qui beatæ clausulæ cum ipso aliquando imminere gestiunt; tum in verum & solidum cognatione junctorum solatium. Extremus vero vitæ suæ actus talis est. Quando quàm maximè idolvebat animo, ut examine memorato ritè defungeretur, sexta Aprilis luce, ardores febriles sensit per totum corpus vehementes, qui cottidie intendebantur, atque vires eo citius debilitarunt, quia ferè exhaustæ prius fuerunt quartanæ febris violentiâ, quæ paulo ante graviter ipsum cruciavit, donec die 13 Aprilis horâ post meridiem tertiâ, compositis omnibus ad pietatem & beatum discessum cogitationibus, assumptoque viatico cœlesti, corpore & sanguine Jesu, ac eodem satiatus, feriâ primâ quæ Resurrectioni Christi sacra est, inter suspiria & devotas preces, placidè exspiravit anno ætatis suæ 36. Funerabitur die 21 hujus mensis, horâ primâ pomeridiana, quo tempore ut velitis convenire Patres, Civesque Academiæ, obnixè petimus, comitaturi civis optimi exequias eâ quâ par est promptitudine. Dabam Aboæ sub Sigillo Universitatis. Die 19 Aprilis, Anno 1694.



Final
Unit
Copy

RECTOR

ACADEMIA



M. D. A. M.



19/1/94